

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber II*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber II*

1456-04-22

In Dict. prooem.

[1] Qui norit Alfonsum, nemo te, Antoni, adulatum dixerit. Si adulari eos tantummodo dicimus, qui mortalium facta dictaque supra verum extollunt, libellus tuus, quamvis elegantissime scriptus est, diminute tamen magis quam ampliter regis laudes attingit. [2] Nec miror: quis enim eius regis egregia facinora abunde retulerit, qui annos supra quadraginta omnium iudicio sapientissime regnaverit? [3] Ego quidem, ut de tuo rege iudicium meum prodeam, omnes qui modo regnant, et quique regnaturi posthac fuerint, Alfonsum tanquam speculum quoddam virtutum contueri oportere arbitror, si sibi gloriam, provincialibus suis quietem parare voluerint.

In Dict. 1

[1] Inter fratres, qui beatae Mariae Theutonicorum appellantur, ac Poloniae reges de regni finibus magna saepe contentione certatum est. Sed arbitrante Sigismundo caesare, lis extincta, pax facta, iuratum sigillatumque foedus. [2] Anno ab hinc tertio conspirant inter sese quinque et quinquaginta Prutenorum civitates impiaque contra dominos arma suscipiunt et contra fratres universae rebellant. [3] Tum Casimirus Poloniae rex portionem sui regni Prussiam esse asserens, occasione oblata bene gerendae rei, bellum fratribus indicit. [4] Tantoque divi Alfonsi quam barbari regis modestia maior, sed non minori perfidia Picininus contra Senenses usus, quos bello quinquennali afflictos, quamvis sibi patrique suo amicissimi fuissent, non est veritus armis lacessere.

In Dict. 2

[1] Ad haec sponsalia contrahenda nos huc ex Austria legati caesaris venimus, remque absolvimus, quamvis collegae nostri Georgius de Villa Populosa et Michael de Plena Villa adversi essent, qui dotis nomine minus promitti, quam par esset arbitrabantur. [2] Et Leonora Augusta – sic enim eam vocitamus – regia neptis hoc anno filium peperit, Christoforum nomine, scitum puellum et oris lineamentis Alfonso persimilem, utinam moribus!

In Dict. 3

[1] Africanum superiorem, qui unius virginis pudicitiae consulisset, non satis a Livio laudatum arbitramur, quamvis in eo facto extollendo nihil omisisse videatur. [2] Alfonsus Massilienses omnes virgines ac matronas conservavit intactas. In agro quoque Volterrano, cum oppidum vi expugnasset, cui Ripa Malerantia nomen est, pari moderatione in feminas usus est. [3] Quas igitur huic regi laudes attribuemus immortales certe, si Picininum reliquerit, apud quem virgines ac nuptae bello captae contumelia afficiuntur!

1

In Dict. 4

[1] Ratispona super Danubii ripa apud Bavarios magna et insignis urbs est. Hic sancti Emerami vetus monasterium cum viseremus, abbas, qui loco praeerat, reconditum nobis corpus ostendit, quod divi Dionysii Ariopagitae esse asseveravit. [2] Cum nos Dionysium apud Parisios observari diceremus, Leonis papae litteras in medium attulit, quae testarentur imperatorem, si recte

meminimus, ex Henricis unum, cum regem Franciaie invisisset ac Parisiis ageret, haec ossa furatum huc detulisse; appellatque summus pontifex imperatoris pium furtum. [3] Nos regis pium spoliū dicere possumus, quo sanctissimus Aloisius ex Massilia in Valentiam translatus est.

In Dict. 5

[1] Heri aliquot legati regem convenimus: incidit sermo de Philippo duce Burgundiae, quod votum vovisset contra Turchos arma sumere. Laudavimus nobilissimi principis animum et quidnam rex ipse facturus esset ad religionem tuendam percunctati sumus. [2] Tum ille: «Si vixero – inquit – in annum proximum, classe Turchos in Graecia atque Asia laceſsam. Alfonsus ex sorore nepos, rex Portugalliae, in comitatu meo erit, quadringentis et eo amplius velis mare sulcabitur, in hostium terram quinquaginta milia pugnatorum exponemus: iam tela, iam arma in promptu sunt. Tritici modios quinque et septuaginta milia conscripsimus: naves onerarias triginta expedivimus, quarum unam in portu vidistis, qua maiorem aevo nostro non tulit pelagus. Animus bonus est, adsit tantum cum vita bona valetudo». [3] Si propositum rex tenuerit, tres orbis partes armatus inviserit, ac triumphando percurrerit: Europam, Africam atque Asiam. Idem factitavit caesar, at ille contra patriam, hic pro patria pugnaturus est, id est pro Ecclesia catholica, in qua Christo regenerati omnes sumus.

In Dict. 6

[1] Nogardia civitas est inter Rutenos amplissima, et auro atque argento admodum dives. Rutenos non illos dico, de quibus Lucanus ait: «solvuntur flavi longa statione

Ruteni». Nam eos inter Galliam habitasse constat, hi Germanos ultra et Sarmatas et Lituanos non longe ab ortu Tanais sedes habent, ad quos Romanorum ducum nemo unquam penetravit. [2] In medio urbis foro lapis quadratus est, in quo rex et quidem stans ius populo dicit. Sed raro in annum regia potestas apud unum mansit, saepe in unum diem duo tresve regnare. Surgit enim ex populo qui clientelis se satis armatum existimat, regemque deturbans lapide locum eius invadit, atque e vestigio rex salutatur. Haud ad dissimilem et ipse casum subiit, si quis se fortior adventarit regni cupidus. [3] Mira diversitas regionum: Septentrio suos inhonestat reges, Meridies non alienos tantum, sed etiam hostes honorat.

2

In Dict. 7

[1] Fridericus imperator extra coenam nunquam utitur vino. In coena levissimum bibit, et id aqua perdomitum. [2] Leonorae Augustae, quae paterna in domo nunquam vinum gustasset, suadebant medici in Germania regione frigida, si mater fieri vellet, vinum biberet. [3] Quod cum accepisset Fridericus, me vocato: «Abi – inquit – atque imperatrici dicito sterilem me coniugem quam vinosam malle. Proinde me si amat, vinum oderit». [4] Ad id nuncium Leonora: «Et si viri iussioni tam libenter parco quam vino, si tamen vini usum mandaverit imperator, mori eligam quam parere».

In Dict. 8

[1] Theutoniae regibus, qui ad imperium eliguntur, apud Belgas in Aquensi civitate mos est coronari atque inungi.

II 6,1. solvuntur - Ruteni: Lucan. I 402

[2] Huc dum Fridericus iam electus properat, Albertus frater eius, iunctus cum comitibus Ciliae, viribus Carnos invadit. Labacum, insigne ac munitissimum oppidum, obsidione cingit, Cramburgenses infestat, Tergestinis, se nisi dedant, exitium minatur, apud Carenthanos, apud Stirienses novas turbas excitat. [3] Seniores, qui apud Ernestum patrem in primis accepti ac fideles fuerant, Friderico suadent patrimonii quam imperii curam maiorem gerat: imperium rem communem alio tempore curari posse, patrimonium rem propriam et ad heredes transituram, nisi nunc tueatur, frustra in posterum optari quaerique. [4] Contra Fridericus imperii communia negotia per sese, haereditaria et privata per procuratores curanda statuit. Coeptumque iter prosequens belli duces elegit, qui se absente patriae consulant. [5] Coronatus dum revertitur, fratrem cum comitibus profligatum reperit, atque ad se vocatum temerati fraterni hospitii et amoris arguens, rursus in gratiam recipit, et quasi nihil peccasset, in partem regni restituit.

In Dict. 9

[1] Mulierem, quae in dies quadraginta totidemque noctes nihil omnino ederet, se vidisse Patavii Albertus scriptum reliquit, neque id contra naturam esse in femina aegrotanti et frigida. [2] Verum sub Nicolao quinto pontifice maximo ex ultimis Hispanorum finibus presbiter Romam venit, qui se in quadriennio nullo usum cibo assereret, nisi cum aliquando ab episcopis invitatus paululum quid degustasset, inediaeque suae in multos dies si quis optasset periculum faciebat. [3] Hic dum Senis esset Leonardo nostro Benevolenti Romanam se curiam petiturum ait, scandalumque ibi passurum, at non periturum. [4] Cum venit Romam dies illic multos fuit,

admirationem sui turbis fecit, quasi sanctus et Deo carus. Postremo captus virgisque caesus est et in exilium actus: suspectum est enim quicquid prodigiosum.

In Dict. 10

[1] Comites de Wirtembergia apud Germanos, in Svevia, latam terram possident. Et quamvis principatus honore et appellatione careant, potentia tamen multos principes antecedunt, ac insolentes et improbi habentur, qui neque Romanam sedem verentur, neque obsequuntur imperio.

[2] Nobilis quispiam, qui hos diu sectatus fuisset, ab eis tandem recedens ad curiam caesaris profugit: Henricus tum septimus imperabat, avus Karoli quarti, qui Sigismundi pater fuit. [3] Nobilis in conspectu caesaris cotidie accusare comites, nunc rebelles nunc raptores appellare, hostes imperii, contemptores Ecclesiae. Cui Henricus: «Tace – inquit – veterator: neque laudanti tibi quos scimus pessimos, neque vituperanti quos olim sequebaris, fidem habemus».

In Dict. 11

[1] Ludovici Pontani et Nicolai Siculi bella legatio et digna tanto principe, nisi discordes animae et invidia laborantes, neque regi neque concilio utiles extitissent.

[2] Fuimus et nos Basileae notumque nobis est, non minus occupatum fuisse synodum ad reconciliandos inter se regis legatos quam ut Bohemos ad Ecclesiae catholicae consensum reduceret. [3] At quoniam de legatis sermo est, non indignum relatu videtur, quod de Lubicensibus referentem Gasparem Schlichium, qui praesens fuerat, audivimus: Lubicenses ea nunc incolunt loca, in quibus olim Cimbri consederunt. [4] Hi legatos ad Sigismundum caesarem, quamvis illitteratos, attamen

circumspectos et ad subitanea provisos cautosque, misere, e quibus senior, dum genua de more flectit, ventum crepitumque turpem reddit. [5] Cumque in risum omnes soluti essent, ille retro caput inflectens et in obscenam corporis partem verba dirigens: «Tace – inquit –, amice. Me civitas Lubicensis, qui caesarem alloquerer, non te, legatum misit!».

In Dict. 12

[1] Antonius S. Marci cardinalis, Eugeni quarti summi praesulis nepos, incredibile est quam multa numismata conquisierit veterum imperatorum ac principum, amator et hic vetustatis est. [2] Nobis Alfonsus, cum essemus apud se Puteolis, ait inventum a se Neronis aureum nummum, in quo pessimus imperator eam sibi laudem usurparet, qua divus Augustus in coelum tollitur: «Clausi templum quod Iano veteres dicaverunt»; damnabatque sapientissimus rex stultum principem, qui sibi falsam gloriam vendicaret. [3] Non est igitur, Antoni, cur vel tu, vel ego, tanti regis gratiam consequi mentientes speremus.

In Dict. 13

[1] Bartholomaeum Factium, qui gesta regis scribit, non miror imitatum esse in genere dicendi Gaium Caesarem, quando eius commentaria regi tantopere placent, at digna sunt illa quae placeant. [2] Verum Lituaniae ducem Svitrigalum nunquam e domo pedem movisse aiunt, quin dispensatorem percontaretur, an librum quem sibi de arte popinaria accuratissime componi curaverat, secum afferret, quasi Apicius exquisitarum cultor epularum. [3] Coena apud eum non minus sex horarum fuit, nec fercula minus quam triginta apponi consuevere. At

saepius nonaginta et centum allata sunt dum legunt. Itaque occidentales reges septentrionales edunt.

In Dict. 14

[1] Quod iubet alternative Plato, Alfonsus copulate implet, qui et litteratus est et homines amat litteratos. At rara in terris avis: nam saeculo nostro omnes ferme reges Nursini videntur, qui lectarutos (sic enim litteratos vocant) e consilio procul arcent.

In Dict. 15

[1] Venceslaum Bohemiae regem inter purpuratos suos crebro sermone usurpare solitum ferunt: «Ego, si me diripiendis urbibus Italiae sors praesentem dederit, caeterarum rerum praedam militibus impartiar, vini tantum apud me spolia reservabo. Si quis autem cellam vinariam iniussu meo fuerit ingressus, gladio ferietur». [2] Hunc principes electores velut inertem atque secordem imperio deiecerunt, Ruperto Bavario in locum eius suffecto, ad quem civitates Theutoniae omnes defecere demptis Norinbergensibus, qui Venceslao iurassent. [3] Hi, cum hinc iurisiurandi religionem vererentur, inde vim Bavarii timerent, legatos ad Venceslaum mittunt, qui se iuramento solvi petant, ac si necesse sit auri viginti milia nummum in eam rem offerant. [4] Rex, auditis legatis, liberos Norinbergenses dicit, si currus quattuor tradant onustos vino, quod Baccaracense vocant, hoc est inter Rhenensia vina, ut putant, optimum.

In Dict. 16

[1] Ab eo principe, qui muscam e cratere – ut ante relatum est – proripuit, petiit quispiam filiae, quam

haberet unicam, aureos viginti, quibus eam nuptui traderet: sibi enim non esse unde corradere dotem posset. [2] Id ubi negatum est, ad vicinum regem commendatitias litteras impetravit, quas vir bonus et nobis amicus dictavit, signandasque principi tradidit. [3] Cui princeps: «Unde papyrus sumpsisti?». «Ex tuo – inquit – armario». Tum princeps: «Siccine me – ait – expilatis omnes. Si sic bona nostra prodigimus, ad mendicitatem brevi redigemur. Male hanc diem expendimus».

In Dict. 17

[1] Pudeat Italiae sacerdotes, quos ne semel quidem novam legem constat legisse. Apud Thaboritas vix mulierculam invenias, quae de novo et veteri testamento respondere nesciat.

In Dict. 18

[1] Si unius liberandae triremis causa, in qua ducenti vel paulo plures perire homines poterant, ingenti periculo sese rex subiecit, quid faciet pro beati Petri navigio, quo cum, nisi procellam Turchorum evaserit, Christianam perire societatem oportet?

In Dict. 19

[1] Vitoldus, dux Lithuaniae, laesae maiestatis reos, ursorum pelle consutos, ursis quos domi nutrierat laniandos obiiciebat. [2] Cuius severitatem ne dicam, crudelitatem adeo provinciales extimuerunt, ut cum dixisset aliquando duobus pluribusve: «Ite ocus ac laqueo vos appendite», nemo imperium recusaverit, auditusque nonnunquam sit qui conreos hortatus:

«Eamus quam properanter – dixerit – ne bilem domini commoveamus».

In Dict. 20

[1] Fridericus imperator tertius, victis bello et vi captis Gunzensibus, octuaginta homines qui rerum novarum ac rebellionis auctores fuerant, in patibulum sustulit, reliquae multitudini vitam libertatemque ac fortunas reliquit.

In Dict. 21

[1] Sequebamur Alfonsum ex hospitali beatae Mariae in arcem regiam, cum forte vir grandaevus vultu habituque venerabilis, regem salutat. **[2]** Rex autem ad nos conversus, «Hic – inquit – cum obsiderem hanc urbem ad me venit in castra utque bono animo essem iussit. Nam circa kalendas Iunias, quae tunc instarent, oppido potiturus essem, at non diu post futurum esse anceps proelium ait, in quo dux exercitus caperetur, meque commovit ne illi pugnae interessem. **[3]** Prima prophetici sermonis pars impleta est: quarto nonas Iunias Neapolim in potestatem redegi. Copiae deinde nostrae atque Antonii Candolae in agrum Carpinonium convenerunt, dubitatum est inter nostros an proelium committi oporteret, qui vitae personae nostrae timerent. Quod cum ad me relatum est: “Ergo – inquam – ea res nobis timorem incutit, quae praestare animum atque audaciam debet!”. Induique mox galeam, et signo pugnae dato in hostem me converti, fregi acies, vici, profligavi, Antonium captivum abduxi. Nec me vaticinium, nec trepidum consilium terruit amicorum».

In Dict. 22

[1] Nandi solum peritia Gaius Caesar Alfonso superior fuit, qui apud Alexandriam, navicula paene submersa, nando ad classem evasit. Batavos hanc artem adeo coluisse constat, ut Rhenum, qui apud eos latissimus est fluvius, armati tranarent. [2] Illorum hodie locum Traiectenses tenent, viri bellaces et nandi peritiores quam caeteri Rheni accolae.

In Dict. 23

[1] Servatae apud Bicarum mulieres regis animum ab his alienum ostendunt, quae Picinini patravit exercitus violatis apud Orbitellum nuptis ac virginibus.

In Dict. 24

[1] Proeliis, quae inter Christianos acta sunt, corpus obiicere non negavit Alfonsus. Non est igitur cur dubitemus contra Turchos cum arma sumpturum, atque in persona propria militaturum et in tam gloriosam expeditionem iturum.

In Dict. 25

[1] Albertus marchio Brandenburgensis, quem Theutonicum Achillem non ab re vocitant, cum accepisset Norinbergenses, quibus cum bellum gerebat, equites octingentos ac sex milia peditum in agrum eius praedatum misisse, apud fluvium quem illi transmissuri erant, equitibus ubique peditibus uno duntaxat loco vadabilem, sagittarios inter arbusta ducentos collocat, qui, equitatu praetermisso, peditatum vado arceant. [2] Ipse cum sexcentis equitibus proximo in nemore latitat, transmissisque hostium equitibus, mox sese ostendit. Steterunt utrinque acies medio campo trecentorum ferme passuum intervallo non sine trepidatione. [3] Tum

marchio cum duobus comitibus apprehensa lancea in hostem advolat. Occurrunt totidem sibi ex hostibus viri fortes. Marchio equitem, qui sibi obuius fit, medium transfodit sternitque, ac, comitibus suis, ab his cum quibus congressi fuerant prostratis, ipse in hostium turmam solus erumpit, modo istum, modo illum conficit, stragemque non parvam efficit, donec ad signa pervadat.

[4] Illic centum in eum gladii nudantur, et cum punctim ferire in pressura nequeant, ignari quisnam tanta auderet, caesim rem agunt. **[5]** Ille amplexatus utroque brachio vexillum: «Nusquam honestius quam hic moriar!», inquit. Dum solus haec agitat, reliquus exercitus suppetias occurrit, et versis in fugam hostibus semianimem ducem apud vexillum comperit confractum quassatumque. Hostes aut caesi aut capti, fuga admodum paucos eripuit. Pedites apud fluvium impediti nullo interim usui fuerunt. **[6]** Haec nobis et Albertus ipse cum simul e Nova Civitate Austriae Viennam pergeremus, et alii complures viri graves retulerunt. Dignus Albertus, qui prope Alfonsum nomen habeat.

In Dict. 26

[1] Alberto fratri, qui multa obtinisset et plura peteret, cum negaret Fridericus imperator quae peterentur, illeque indignum esse diceret germanum a germano relinquere: «Non ego te, germane, sed tuos relinquo purpuratos quibus dedi quae in te contuli».

In Dict. 27

[1] Presbiterum aiunt Montis Calvi, qui Viennae imminet, cum ad meridiem usque bibisset, dormire ad occasum solis consuesse, expectatum vero ad ecclesiam ire, ornare altaria, sacerdotalia indumenta sumere,

campanaque plebem citare, ut qui missam celebrare instituisset. [2] Interrogatus cur tam sero rem divinam agere vellet, versum ad Occidentem, quem putabat Orientem esse, percontantibus respondisse: «Enimvero subdubito an tam mane celebrare liceat, ante exortum solem. Nam quamvis aurora rutilat, non tamen diem dicere possumus, nisi solis orbis super nostrum horizonta eluceat».

In Dict. 28

[1] Ludovicus Bavariae dux, quem Basileae et Norinbergae vidimus, struma ingenti gibboque deformem, ac facundum et audacem, adversus Ludovicum patrem impia arma movit, nec veritus est venerandum et grandaevum senem dura et miserabili obsidione concludere. [2] Sed correptus vehementissima febris, ante diem suum obiit, quam patri possit vincula coniicere. Neque enim adversus paterna iura agere impune cadit, neque longaevi sunt super terram, qui parentes inhonorant. [3] Infamis aetas nostra, quae non Ludovicum hunc tantum, sed alterum Ludovicum Franciae delphinum et Alfonsum Castellae primogenitum in patres armatos vidit.

In Dict. 29

[1] Ulricus Ciliae comes hoc anno cum Iohannem Hunniadem regni Hungariae gubernatorem alloqui cuperet, neque ille recusaret, si apud se in castra conveniretur: «Non ego – inquit – princeps ex principe altaque familia natus ad te veniam novum hominem et nostra demum aetate nobilitatum». [2] Cui Iohannes: «Non ego – inquit – tuis maioribus, sed tibi me comparo, quanquam neque illis, qui pugnando pro

Christiana religione nobilitatus, maius lumen posteritati meae comparavi, quam illi ad te derivaverint. Atque ut in te Ciliensis comitatus turpiter exstinguitur, ita in me gloriose Bistricensis exoritur».

In Dict. 30

[1] Fridericus marchio Brandenburgensis, is qui contra Bohemos sub Iuliano legato apostolico fortem et numerosum duxit exercitum, conditurus testamentum quattuor ex se mares filios evocavit: Iohannem, Fridericum, Albertum et alterum Fridericum. [2] Iohannemque, qui natu maior esset, in hunc ferme modum allocutus fertur: «Primus ego, ut nosti, dignitatem electoratus imperii in nostram familiam adduxi, cum essem Sigismundo caesari admodum familiaris. Nunc vocat me suprema necessitas: curae mihi est, ne tantum munus in domo nostra vilescat. Tibi, ut video, quietis et voluptatis unicum studium est. In electoratu praeter curam et assiduum laborem nihil invenias, eam ob causam, si tua voluntate id possum, marchionatum Brandenburgensem, cui ius eligendi caesarem est annexum, Friderico secundo genito, qui et vigilantior et laboriosior quam tu esse videtur, testamentali carta relinquam. Tibi Foitlandiam, Alberto quicquid Franconici iuris possideo et alteri Friderico partem Misniae». [3] Cui Iohannes: «Existimavi pater ante hunc diem cariorem tibi multo quam me Fridericum esse, cum illi saepius blandirere, neque id ferre non aegre potui. Nunc sententiam muto, et te, pater, amo coloque, qui mihi otium, illi negotium suprema voluntate dimittis». [4] Ex Iohanne hoc nata est Ludovici Mantuani marchionis uxor, inter mulieres nostri saeculi forma et moribus praeclara.

In Dict. 31

[1] Iohannes, Rudolphi regis Bohemiae filius, Alberto Romanorum imperatori patruo suo indignatus, qui petenti sibi partem Austriae non statim adnueret, cum non reperiret qui prece vel pretio tantum principem occisurum se promitteret, ad patruum sese contulit, et amicitiam vultu praeferens transeuntem apud Helvetios Rhenum consecutus est, ibique eum pugione transfodit incautum. [2] Mox poenitentia ductus ad Clementem quintum Romanum pontificem, qui se absolveret, Avinionem perrexit. Ille tanti sceleris auctorem ad Henricum septimum Romanorum imperatorem remisit. Imperator reum apud Pisas in monasterio Augustinensium agere poenitentiam iussit, ibique Iohannes mortuus ac sepultus est. [3] Nos cum Leonorae Augustae a Friderico caesare obviam missi essemus, tumultum eius inspeximus.

In Dict. 32

[1] Bernardinum Senensem, quem coelicolarum numero Nicolaus quintus pontifex maximus adscripsit, inter sermocinandum fabulam huiuscemodi referentem audivimus: accepit ex villico matrona quaedam nobilis recentia cerasa, quae in thalamum reclusa maiori ex parte cum ossibus ore avido atque hianti manipulatim voravit. Coram viro deinde allatis quae residua fuerant cerasis, prius quam unum comederet terque quaterque momordit. [2] Quaerens ex villico, quonam modo cerasa rure ederentur, cui villicus, qui per rimulam vorantem feminam contemplatus esset: «Quo tu – inquit – mulier paulo ante sola in thalamo». Erubuit mulier.

[3] Bernardinus eos bene vivere aiebat, qui quaecunque agerent aperta diis atque hominibus esse putarent.

In Dict. 33

[1] Puellam balnearum custodem perditae amavit Albertus Bavariae dux, eaque uti frueretur, matrimonium promisit. [2] Cumque de laudibus mulierum se coram aliquando sermo esset, illamque nemo nominaret, aut invidos, aut formarum ignaros aestimatores purpuratos suos appellavit, qui uxorem suam praeterissent. [3] Verum illam Ernestus Alberti pater apud Straubingam in Danubium praecipitavit: indignum profecto facinus ob noxam filii, puellam, quae nihil peccasset, neci datam. [4] Verax igitur Strabo, qui potentiorum commoditatem ius esse diffinivit.

3

In Dict. 34

[1] Coenantibus apud Angliam praelatis ac baronibus ministri flexis genibus officium suum faciunt. [2] Apud Germanos, nec regi nec imperatori tantum adulationis impendunt, prandentque prandente domino famuli, duobus tribusve, qui vel vina vel cibos apponant, expectantibus.

In Dict. 35

[1] Audiui Fridericum imperatorem saepenumero dicentem ex iis, qui se auctore fuissent exaltati, quam paucissimos fuisse gratos, eamque suis donis naturam inesse, ut ex fidelibus infideles facerent.

In Dict. 36

II 33, 4. Verax - diffinivit: cfr. Strabo *Geogr.* I 18

[1] Adversus Albertum marchionem Brandeburgensem omnes superioris Germaniae civitates adiuvandos Nurinbergenses statuerunt, quibus ille bellum indixerat. Cunque numerosus exercitus instrueretur, interrogavit quispiam ut quid tantum populum adversus unum principem et eum quidem pauperem armarent. [2] Cui unus ex primoribus civitatum: «Desipis – inquit – homo. In Alberti nanque astutia et fortitudine omnium Germaniae principum vires opesque continentur». [3] Neque vana vox fuit: septem et decem principes in partem suam traxit Albertus, civitatesque multis incommodis attritas petere pacem coegit.

In Dict. 37

[1] Henricus Goriciae comes, absente qui cellae vinariae claves haberet, sitibundus hostium celle calcibus invasit, arguenteque eum Phoebus de Turri, qui secum nutritus erat, utque se sineret frangere repagulum orante: «Tace – inquit – me sitis, non te cruciat».

In Dict. 38

[1] A Turchis modo captos redimere Christianos non liberale modo, sed pium opus sanctumque fuerit. Quod tunc futurum speraverim, si classem, ut promittit, adversus Mahumetum Alfonsus duxerit simulque terrestres copiae in Alfonsus duxerit simulque terrestres copiae in Turchos ierint.

In Dict. 39

[1] Homini agresti, qui ad nundinas Novae Civitatis Austriae venale triticum adduxerat, dum parumper ad caupones divertisset, equus alter ex biga subtractus est. [2] Furti querela ad Fridericum imperatorem defertur.

Iubetur actor reum nominare. Is sibi de furto constare ait in civitate regia facto, furem se pentus ignorare.

[3] Haerentibus in coniectura consiliariis, si forte in suspicionem quisquam veniret: «Mirum – inquit Fridericus – cur etiam alterum equum homo non perdidit: tot sunt hodie in hac urbe armigeri, qui equis indigent.»

[4] Tum rusticus: «Equa est altera, o caesar, quae belligerantibus nulli est usui». «Atqui ergo – ait caesar – ea insidito, atque in omnes urbis viculos discurrito! Subtractus equus in aliquo stabulo latitat, qui cum iugalem equam senserit, mox hinnitum dabit». Paruit homo, eoque pacto furtum compertum est, agrestis, quod suum erat recuperavit, fur poenas dedit. [5] Oportet igitur qui iuri dicendo praesunt, non tantum iustos, sed etiam prudentes et peracutos esse.

[6] Zischa Bohemus qui coetus Thaboritarum ductavit exercitum, villam quandam in Austria cum diripisset, neque invenisset armenta – nam illa in insulam Danubio cinctam transvecta fuerant – conquisitis a proximis villis duobus vitulis totidemque suibus, eos e regione insulae tam diu verberari iussit, donec mugitum grunnitumque vaccae suesque exaudientes ad ripam suam tranarunt. [7] Quibus interceptis praedam non modicam abduxit, atque ita docuit ingenio non minus quam viribus res militares geri.

In Dict. 40

[1] Iacobus archiepiscopus Treverensis, princeps elector, vir industrius ac magni consilii, sed multivolus et ad elevandam ecclesiae suae potentiam nimis attentus, anno ab hinc secundo Fridericum imperatorem apud Novam Civitatem cum adiisset, alteramque post alteram

petitionem obtinuisset, atque amplius et amplius petendo instaret: «Si non facis – inquit imperator – petendi finem, ego negandi principium inveniam».

In Dict. 41

[1] Theodoricus Coloniensis ecclesiae pontifex, prudentia et auctoritate inter electores imperii facile princeps, quaerenti Sigismundo caesari quonam pacto felicitatem acquirere posset: «Inter mortales – ait – frustra requires». Petenti rursum ad illam coelestem quo itinere pergeret: «Recte» inquit. [2] Instanti tertio quid agens recta vaderet: «Si vitam tuam ita institueris duxerisque – respondit – quem admodum facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, sive alia valetudo acrius te oppressit».

In Dict. 42

[1] Vellem audisse quidnam dixerit Andreas, ubi Panormum rediit viso rege. Ego cum hinc abiero, si quis me roget, quae apud Neapolim singularia dignaque memoratu viderim, quattuor primum respondebo: [2] Neapolim, scilicet, splendidissimam urbem, salubritate aeris, portu, templis, aedibus, agris, viris, equis armisque apud Italos nulli secundam; Arcem regiam, quam Novam vocant, amplitudineque decore; artificio munitionem tota Europa excellentem navium, que magnitudine formaque cunctas superent, quae navigasse aliquando memorentur; et cui talia quadrent, Alfonsum regem adiiciam. [3] Quinto loco, si quis audire potis sit, sacrum illum divi Ianuarii cruorem, quem modo coagulatum, modo liquentem ostendunt, quamvis ante annos mille ducentos pro Christi nomine sit effusus. [4] Postremo Baiarum

Cumarumque et Puteolorum cadavera subnectam, quae Romanam videntur aequare ruinam.

In Dict. 43

[1] Alberto Austriae duci, qui, mortuo Sigismundo caesare, cuius erat gener, regnum Hungariae ac Bohemos cum Romano imperio suscepit, cum princeps amore civium tutos esse oportere, idque solam innocentiam praestare diceret: «Et fida custodia – respondit socer – excludit infortunium».

In Dict. 44

[1] Sub Nicolao quinto Romano pontifice floruerunt humanitatis studia, quibus ille delectabatur. Sub Callisto moderno scientia iuris in coelum extollitur. Alfonsus purpuratos suos omnium litterarum et venationis amatores suo exemplo reddidit.

In Dict. 45

[1] Alberto Ladislai patre vita functo, et Bohemi et Hungari Fridericum caesarem sibi regem petiverunt. Quibus ille: «Absit a me – inquit – scelus hoc, ut patrueli meo paternam hereditatem auferam». [2] Fridericus quoque marchio Brandenburgensis princeps elector a Polonis in regem vocatus, «Cazimirum – inquit – habetis mortui regis fratrem, hunc requirite quem successio regem fecit: eum si fortasse taedet regnare ad me redite». [3] Recusavit et Albertus Bavariae dux oblatum Bohemos regnum, ne Ladislaum haeredem excluderet. Hanc nos temporibus nostris apud Germanos principes moderationem et vidimus et memoria dignam censuimus.

In Dict. 46

[1] Quaerenti Leonardo Benevolenti collegae nostro, quo iure Picininus agrum Senensem invasisset: «Militari – inquit Brocardius comes. Nam bello lacessere omnes possumus, quibus obligati non sumus». At hoc ius summa iniustitia est. Decet itaque regem, qui nihil praeter rationem et iustitiam provinciarum praesides etiam se iubente vult facere, Picininum prorsus relinquere, bonarum legum et totius aequitatis eversorem.

In Dict. 47

[1] Milites, qui otii gratia curiam sequerentur, semper in negotio futuros aiebat Sylvester Chimensis episcopus, nisi sese tandem vel cum periculo capitis inde abdicarent.

In Dict. 48

[1] Laudanti se supra modum et diis persimilem esse praedicanti cuiquam alapas Sigismundus non paucas incussit dicentique illi: «Cur me caedis?», «Cur me mordes?» ait.

In Dict. 49

[1] Friderico Romanorum imperatori Amedeus dux Sabaudiae, quem clerus apud Basileam congregatus, Eugenio quarto a summo pontificatu deposito, in illius locum suffecerat Felicemque papam quintum vocaverat, filiam quam domi habebat viduam, iuvenem et forma praestantem, in matrimonium obtulit, simulque dotis nomine auri nummum ducenta milia, si Eugenio relicto, se Petri successorem appellaret. [2] Horrui caesar minimeque sacramento suo ecclesiae sacramenta foedare

voluit. Atque ad suos conversus: «Vendere – inquit – alii pontificalia solent: hic libenter emat, si reperiatur venditorem».

In Dict. 50

[1] Cum accusassent purpurati apud Sigismundum maledicentiam Germanicae multitudinis, quae de suo principe passim obloqueretur, subridens imperator: «An vobis – inquit – grave videtur illos male loqui, cum nos male agamus?».

In Dict. 51

[1] Furi, qui se civem Budensem diceret, sibi tanquam membro parcendum esse arbitraretur. «Et putrida – inquit Sigismundus – si sit mea manus, abscindatur».

In Dict. 52

[1] Regi non regni incolae modo, sed omnes populi quos salvare potest, ovium numero habendi sunt. Ideo non minus Senenses quam Neapolitani a te, rex, servandi sunt.

In Dict. 53

[1] «Ex Deo – inquit Fridericus imperator – cum oro, misericordiam peto, non iustitiam. Quidne ergo me subditis clementem atque misericordem exhibeam?»

In Dict. 54

[1] Qui duri atque immites essent principes, his aiebat Fridericus imperator mortem nimis extimescendam esse. Nam quales se dum vixerunt aliis praestitere, tales cum morirentur in se iudices inventuri essent.

In Dict. 55

[1] Quas non didicerunt artes recusant omnes exercere; imperare, quae est ars artium omniumque difficillima, nemo recusat.

In Dict. 56

[1] Interrogatus Rudolfus caesar, qui primus in familiam Austriae traduxit imperium, cur ita fieret: «Non mirum – inquit – stultos putant, qui regnare nesciant, stultum autem nemo sese iudicat».

In Dict. 57

[1] Michael Pfullendorfius, secretarius Friderici caesaris, qui in ecclesia mea Senensi sepultus est, inter caetera quae miraretur illud potissimum esse dicebat, quod animalia rationis expertia nullum supra se regem ferrent, nisi caeteris virtute praestaret. [2] Homines vero, qui se rationales dicant, his saepe principibus oboedire, qui brutis quadrupedibus stultiores essent.

In Dict. 58

[1] Duos pueros miserat Alfonsus in Parisios, qui litteras discerent. Eramus in Arce Nova apud eum, cum Iohannes Solerius illorum epistolas regi restitueret. Vidimus eum miro modo gestientem, postquam scriptis puerorum lectis eos proficere cognovit.

In Dict. 59

[1] Bartholomaeus Capreus, Mediolanensis antistes, idcirco se ministros forma praestantes quaesivisse dicebat, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent, improbitatem autem in egregia forma perraro compertam esse.

In Dict. 60

[1] Interrogatus Sigismundus imperator, cur apud liberas civitates peculatus crimen adeo frequens inveniretur: «Idcirco – respondit – quod nudos honores civibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat».

In Dict. 61

[1] «Neque stultis – inquit Fridericus caesar – delectari possum, neque superbis esse amicus».

In Dict. 62

[1] Leonoram Augustam e Pisis iubente Friderico caesare Senas deducebamus. Ante diem cineris, cum solent insanire populi, offendimus apud Sanctum Miniatum Theutonicum, in agro Florentino choream agrestium puellarum, quae saepe saltantes nudarent genua cruraque ostentarent. Quod cum animadvertisset imperatrix: «Eamus – inquit – meretricum hic ludus est, non virginum».

In Dict. 63

[1] Victis in Hungaria Gunzensibus: «Magnum – inquit Fridericus imperator – opus actum est, nunc maius restat ut scilicet vincamus nosmetipsos, atque avaritiae et ulciscendi cupiditati frenos imponamus».

In Dict. 64

[1] «Saevum – inquit Rudolfus caesar – et immitem fuisse aliquando poenituit, levem et placabilem nunquam».

In Dict. 65

[1] Beatos esse in terris reges aiebat Sigismundus imperator, si, exclusis superbis, mansuetudinis et misericordiae cultores in curiam astiterent.

In Dict. 66

[1] Bernardus monachorum pater, abstinentiae praecipuus magister, cum aliquando, advenientibus hospitibus, extra ordinem coenasset, idque discipuli crimini darent: «Non ego – inquit – sed charitas bibit editque».

In Dict. 67

[1] Viros et armis et litteris claros non solum vocavit ad se Alfonsus, qui sibi consulerent, hisque abunde providit, verum ex curia sua tanquam ex officina virorum praestantium et copiarum duces egregios et venerabiles ecclesiarum antistites emisit. [2] Nam et Callistus tertius, qui modo summi pontificatus cathedram regit, ex Alfonsi schola ad cardinalatus honorem pontifex maximus Eugenius accersivit.